

non solum incolarum ipsius oppidi et districtus ac circumposite regionis, sed etiam
 aliorum, qui preter hos de diversis mundi partibus confluent ad oppidum memoratum,
 studio paterne sollicitudinis anhelantes, prefatorum proconsulum, consulum et oppidanorum
 ac universitatis devotis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica
 5 presentium tenore statuimus ac etiam ordinamus dictisque proconsulibus consulibus
 et oppidanis ac universitati de specialis gratie dono concedimus, ut in eodem oppido
 de cetero sit studium generale, illudque perpetuis futuris temporibus in eo vigeat in gram-
 matica, logica et philosophia nec non in iuribus canonico et civili et etiam in medicina
 et qualibet alia licita facultate, ac audientes et studentes ac docentes ibidem in facul-
 10 tatibus huiusmodi omnibus privilegiis libertatibus et immunitatibus concessis docen-
 tibus et studentibus in eisdem facultatibus et in aliis studiis generalibus quibuscunque
 gaudeant ac utantur. Et insuper oppidum et studium memorata, maxime cum procon-
 sules consules et oppidani predicti, sicut nonnullorum fide dignorum relatione didicimus,
 studium ipsum ac docentes et studentes huiusmodi proponant et intendant manutenere
 15 et etiam defensare nec non etiam ob profectus publicos, quos exinde venturos speramus,
 amplioribus honoribus prosequi propensius intendentes auctoritate ordinamus eadem,
 ut quotiescunque aliqui, qui processu temporis in eodem studio in predictis facultatibus
 bravium assecuti sibi docendi licentiam, ut alios erudire valeant, petierint impartiri,
 possint examinari diligenter ibidem et in eisdem facultatibus baccalariatus ac licen-
 20 tiature gradus recipere et titulo doctoratus seu magisterii decorari. Auctoritate prefata
 etiam statuentes, ut quotiens aliqui in aliqua vel aliquibus facultatum ipsarum in eodem
 studio fuerint doctorandi seu etiam magistrandi, presententur venerabili fratri archiepis-
 copo Maguntino, qui est vel erit pro tempore, seu ejus vicario generali, seu ejusdem
 archiepiscopi in dicto oppido provisorii aut alii, sufficienti tamen et idoneo, quem ad
 25 hoc idem archiepiscopus vel ecclesia Maguntina pastore carente dilectorum filiorum
 capituli ipsius ecclesie Maguntine vicario generali, seu ejusdem capituli vicario non
 existente, vel ad hoc aliquem idoneum requisitione premissa infra unius mensis spatium
 deputare nolente preposito, decano et capitulo ecclesie beate Marie ad Gradus oppidi
 memorati, vel illi, quem ipsi communiter vel divisim ad hoc duxerint deputandum, qui
 30 omnibus doctoribus seu magistris facultatis seu facultatum huiusmodi, in qua vel quibus
 examinatio fuerit facienda, in studio sepe dicto actu legentibus convocatis et presentibus
 eos gratis pure libere et sincere ac omni dolo fraude livore et difficultate cessantibus
 de scientia facundia modo legendi ac aliis, que in promovendis ad doctoratus seu
 magistratus honorem in eisdem facultatibus requiruntur, examinare studeant diligenter
 35 et illos, quos sufficientes et idoneos repererint, petito secrete pure et bona fide eorum-
 dem doctorum et magistrorum consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium
 dispendium vel jacturam sub debito juramenti super hoc prestandi tam ab archiepiscopo
 seu ejus vicario vel provisorio, vel predictorum capitulorum vicario, seu preposito de-
 cano et capitulo^a supradictis, seu deputando ab eo vel eis, quam a singulis doctoribus
 40 et magistris huiusmodi revelari quomodo libet districtius inhibemus, approbet et admittat,
 approbent vel admittant eis que petitam licentiam largiatur vel largiantur, alios minus
 idoneos, postpositis gratia odio vel favore nullatenus admittendo, super quibus archie-
 piscopi, vicariorum, provisoris, prepositi, decani et capituli et deputati vel deputandi

^a im Original: capituli.